



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Distinct. XXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

Illud etiam sciendum est, quod in quibusdam rebus magno malo, in quibusdam paruo, in quibusdam nullo fallimur. In quibus rebus nihil interest ad capescendum Dei regnum, vtrum credantur an non, vel vtrum vera putentur an falsa, siue sint siue nō, in his errare, i. aliud pro alio putare, non arbitradum est esse peccatum: vel si est, minimum atque leuissimum. Et sunt vera quędam, quamuis nō videantur: quę nisi credantur, ad vitam æternam nō potest perueniri. Et licet error maxima cura cauedus sit non modo in maiorib. sed etiam in minoribus reb. nec nisi rerum ignorantia possit errare, nō tamē est cōsequens, vt continuò erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire, quod nescit. Pro vera n. approbat falsam, quod erroris est proprium. Veruntamē in qua re quisquis erret interest plurimum. Sunt n. quę nescire sit melius quam scire. Itē nōnullis errare profuit aliquando: sed in via pedum, non in via morum. Solet etiam quæri de iacob, qui se dixit esse Esau, aliter animo sentiēs, vtrum mentitus sit? De hoc Aug. ait, iacob, quod matre fecit auctore vt falleret patrem, si diligenter attendatur, videtur non esse mendacium sed mysterium. Intendebat enim matri obedire, quę per spiritum nouerat mysterium: & ideo propter familiare consilium Spir. S. quod mater acceperat, à mendatio excusatur iacob.

## DE PERIURIO.

## DISTINCT. XXXIX.

**N**unc de periurio videamus. Periurium est mendacium iuramento firmatum. Hic quæritur, Vtrum sit periurium, vbi nō est mendacium? Quod quibusdam videtur ex auctoritate Hiero. dicētes. Aduertendum est, quod iusiurandū tres habet commites, veritatem, iudicium & iustitiam, si ista defuerint non erit iuramentum, sed periurium. Vbi autem falsum iuratur, veritas deest. Si ergo falsum

VU 4

iure-

*Aug. in pr.**c. 19. in Enchirid.**Ibid. in pr.**cap. 21**Ibid. ad fin.**cap. 10.**Ibid. c. 17.**in princ.**Ibid. condit.**nud Aug.**Gen. 27. 6**A De periurio.**Hiero. super**Hieremiam**in commen-**tariis, ad il-**lud.**Hieremia**iurabis in**veritate,**cap. 4. to. 5.*

iuretur, et si non sit tibi intentio fallendi, videtur esse periurium, quia deest veritas. Quibusdam placeat non esse periurium, ubi non est mendacium, & sicut dicitur aliquando falsum sine mendacio, ita iuratur falsum sine periurio. Falsum fortè dixit Apost. cum se venturum ad Corinth. promisit: nec tamen sicut ei imponebatur, culpam mendacii contraxit, quia sic animo sentiebat, etiam si iuramento illud firmasset, non periurium incurrisset: quia quantum in ipso fuit, verum dixit, & si iurationem addidisset, quantum in se foret, verum iurasset, et si aliter eueniret quam dixit. Ideo sicut quis non est mendax, nisi aliter sentiat animo quam dicit, siue ita sit siue non sit: ita videtur quibusdam neminem periurum constitui, nisi aliter sentiat animo quam loquitur, siue ita sit siue non.

*De triplici modo periurii.*

*De verbis  
his, Nolite  
iurare, Iac.  
Apost. ser. 28.  
Non longè à  
prin int 10.*

Sed melius creditur & ille peierare, qui falsum voluntate fallendi iurat, & qui falsum putans quod verum est iurat, & qui verum putans, quod falsum est, iurat. Vnde Aug. Homines falsum iurāt vel cū fallunt vel cum falluntur. Aut putat homo verum esse quod falsum est, & temerè iurat: aut scit vel putat falsum esse, & tamè pro vero iurat, & nihilominus cum scelere iurat. Distant a. illa duo periuria quae commemorauit. Fac illum iurare, qui verum esse putat pro quo iurat, verum putat esse, & tamè falsum est: non ex animo ipse peierat, sed fallitur. Hoc pro vero habet quod falsum est, non pro falsa re sciens iurationem interponit. Da aliud qui scit falsum esse, & iurat tanquā verum sit quod falsum scit esse. Videtis quā ista detestanda sit bellua. Fac alium qui putat falsum esse, & iurat tanquā verum sit, & fortè verum est. V.g. vt intelligatis. Pluit in illo loco. Interrogas hominē & dicit pluuisse: & tunc pluit ibi, sed putat non pluuisse, periurus est. Interest quēadmodum verbum procedat ex animo: reā linguam

non

non facit, nisi rea mens sit. Hic euidenter traditur, quod tripliciter peierat homo, vt supra diximus: dū vel sciens falsum iurat, vel putans falsum quod verū est iurat, vel estimans verū quod falsum est iurat. Sed hoc extremum non videtur esse periurium, etiam si periuriū nominetur, eo quod falsum iuratur, non videtur reus esse periurij qui sic iurat: quia nō est mens eius rea, & ideo nec lingua. Imo eius mens rea est, dum iurare præsūmit, quod perspicue verum nō deprehendit, Non ergo omne periuriū mendacium est, nec omnis qui peierat mentitur: sed omnis mentiēdo iurans peierat, & omnis qui falsū iurat siue mentiens siue nō, peierat. Cum vero quis iurat quod verū est existimans esse falsum, quæritur quid sit tibi periuriū? Ipsa enim significatio vocis vera est quia verum nescienter loquitur. Non ergo ipsa significatio vel falsum vel mendacium est, quia vera est: & q̄ verū est, periurium nō videtur esse. Ad hoc dicimus, loqui sic sc. contra mentem, sub attestatiōe iuramenti esse periurium. Mentiri ergo adhibita iuratiōe periurium est. Periurium ergo est vel iurando loqui falsum, cū intentione fallendi, vel iurando loqui falsum sine intētiōe fallendi, vel iurando loqui verum cum intentione fallendi. Hic opponitur. Si omnis qui falsum iurat, peierat: tunc q̄ alicui promittit dare sub certo termino aliquid q̄ tamen nō facit, ex quo iurauit, peierauit, quia falsum iurauit. Non n. ita futurū erat vt iurauit. Ad hoc dici potest, quia non omnis qui iurat quod falsum est, ex quo iurat periurus est, sicut iste de quo agim⁹: sed ex quo propositū mutat vel terminum trāsgreditur, iuratio talis fit periuriū reatu.

*An iuratio sit malum.*

**C**  
Si a. quæritur. Vtrum iurare sit malum? Dicimus aliquando malum esse, aliquādo non. Sponte enim & sine necessitate iurare, vel falsum iurare,

Vu 5

pecc

*Quæstio.*

*Oppositio.*

*Determinatio.*

*De sermone  
Domin in  
monte lib. 1.  
ad illud  
Matth. 5.  
Non iurare  
omnino.  
to. 4. Ad il-  
lud. Ecce ego  
coram Deo  
quia non  
mentior.*

*Rom. 1. 6.  
Aug. lib. 1. de  
ser. Domini  
in monte, ad  
illud. Sit ap-  
tem sermo  
vester  
Matth. 5.*

*Deut. 6. c.  
Matth. 5. f.  
Hier. ad il-  
lud Mat. 5.  
Non iurare  
omnino in  
tōmentariis  
in Tom. 9.  
Gen. 42. c.*

peccatum grande est. Ex necessitate a. iurare, scilicet, vel ad asserendam innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendū auditoribus quod est eis utile, malum nō est: quia necessarium eis est. Vnde Aug. Iuramentū faciendum est in necessarijs, cū pigri sint homines credere quod eis est utile. Iuratio non est bona, nō tamē mala cum necessaria, i. non est appetenda sicut bona, nec tamē fugienda tanquam mala, cum est necessaria. Non est n. contra præceptum Dei iuratio. Sed ita intelligitur Dominus prohibuisse à iuramento, ut quantum in ipso est quisque non iuret. Quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tanq̄ magnum atq̄ suave aliquid. Apost. n. nouit præceptum Domini, & tamen iurauit. Prohibemur n. iurare vel cupiditate, vel delectatione iurandi. Quod ergo Christus ait in Euangelio, Ego dico vobis non iurare omnino: ita intelligitur præcepisse, ne quicumque bonum appetat iuramentum, assiduitate iurandi labatur in periurium. Quod vero addidit, Sit sermo vester, Est est: Non, nō: bonum est & appetendum. Quod a. amplius est, à malo est, i. si iurare cogaris, scias de necessitate venire in firmitatis eorū quibus aliqd suades: quæ infirmitas vtiq̄ malum est: Vnde nos quot die liberari precamur dicentes. Libera nos à malo. Ideoq̄ nō dixit, Quod amplius est, malum est. Tu n. non facis malum, qui bene vteris iuratione, sed à malo est illius qui aliter non credit, i. ab infirmitate quæ aliquādo poena est, aliquando poena & culpa. Ibi ergo Dñs prohibuit malū, suavit bonum, indulsit necessarium.

*De iuramento quod per creaturas fit.*

Quæritur etiam, Vtrum liceat iurare per creaturā? Quod non videtur, cum in lege scriptum sit, Reddes a. Domino iuramenta tua: Et Christus in Euangelio præcipiat nō iurare omnino: nec per cœlum, nec per terrā, nec per Hierosolymam, nec per caput

caput tuū. Iudæis: quasi paruulis, est cōcessū iurare per creatorē, & præceptum vt si iurare cōtingeret non nisi per creatorē iurarent, nō per creaturam, quia iurantes per angelos & elementa, creaturas venerabātur honore, & meli⁹ erat hoc exhibere Deo, q̄ creaturis. Infirmis ergo illud prohibuit: sanctis vero, qui in creaturis creatorē venerabantur tantum nō prohibuit. Vnde Ioseph per salutē Pharaonis iurauit, Dei iudiciū in eo venerat⁹, quo positus erat in infimis. Christi⁹ vero ita p̄ creaturas iurare prohibuit, ne vel aliquid diuinum in eis crederetur, pro quo reuerentia eis deberetur: vel ne p̄ ea iurantes falsū, homines se iuramēto teneri nō putarēt.

*Quæ iuratio magis teneatur, an quæ sit per Deum, an quæ sit per Euangelium, vel per creaturas.* E

Si a. quæritur, Quis magis teneatur, an qui per Deum, an qui per Euangelium vel per creaturas iurat? Dicimus, qui per Deum: quia per Deum hæc sancta facta sunt. Vnde Chryf. Si qua causa fuerit, modicum videtur facere qui iurat per Deum: Qui vero per Euangelium, maius aliquid fecisse videtur. Quibus dicendum est. Stulti, scripturæ sanctæ propter Deum factæ sunt, non Deus propter scripturas ita & creaturæ factæ sunt propter Deum.

*Quid est dicere per Deum iuro.* F

Hic quæritur: Quid sit dicere per Deū iuro? Hoc est testem adhibere Deum. Iurauit n. Apost. dicēs, Testis est mihi Deus: ac si dixisset, Per Deum ita est. Vnde Aug. Ridiculum est putare hoc, si dicas per Deum, iuras: si dicas, Testis est mihi Deus, non iuras. Quid est n. per Deum, nisi testis est mihi Deus: aut quid est, testis est Deus, nisi per Deum est iurare nisi ius Deo reddere, quando per Deum iuras? Ius, sc. veritatis, & non falsitatis. Item, Ecce dico charitati vestrę, Et qui per lapidem iurat falsum, periurus est: quia non lapidem qui nō audit, sed eius creatorem adhibet testem. Hoc est ergo iurare

*Chryf. hom.*

*44. ad illud*

*Matth. 23.*

*Quicumque*

*iurauerit*

*per templū*

*tom. 2.*

*Rom. 1. 6*

*De verbis*

*Iacobi.*

*Aug. de ver.*

*bis Iaco. apo.*

*stoli ser. 28.*

*Quid a. non longe a*

*principio, 19*

*tom. 10.*

*Ibid. serm.  
28. ad fin.*

*In sermone  
eod. 28. de  
verbis Iacobi  
Apost.*

*Aug. epist.  
154. tom. 2.*

*Ibid. paulo  
superius.*

iurare per quamlibet creaturam, sc. creatorē eius testem adhibere. Est etiam quoddam genus iuramenti grauisimum, quod fit per execrationē: ut cum homo dicit. Si illud feci, illud patiar, vel illud contingat filijs meis, secundum quē modum accipitur etiam interdum cum aliquis iurando dicit, Per salutem meam, vel per filios meos & huiusmodi: obligat enim hoc Deo. Vnde Aug. Cum quis ait, per salutem meam, salutem suam Deo obligat. Cum dicit, Per filios meos, oppignerat eos Deo, ut hoc eueniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius: si verum, verū, si falsum, falsum. Et sicut per hoc iurans, aliquando hoc Deo obligat: ita per Deum iurans, ipsum adhibet testem. In omni ergo iuratione aut Deus testis adhibetur, aut creatura Deo obligatur, & oppigneratur: ut hoc sit iurare, sc. Deum testem adhibere vel Deo aliquo oppignerare. Hoc est ergo iurare per quamlibet creaturam, scil. creatorem eius testem adhibere.

*De illis qui iurant per falsos Deos.*

Post hæc quaeritur, vtrum fide eius vtendum sit, qui per dæmonia vel idola iurauerit? De hoc Aug. scribens ad Publicolam ait, Te prius considerare volo, vtrum si quisquam per Deos falsos iurauerit & fidem non seruauerit non tibi videtur bis peccasse? Bis utiq; peccauit: quia iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fecit fidem quod non debuit. Ideoq; qui vtitur fide illius quem constat iurasse per Deos falsos, & vtitur fide illius non ad malum sed ad bonum, non peccato illius se sociat, qui per dæmonia iurauit, sed bono pacto eius quo fidem seruauit. Et sine dubitatione minus malum est per Deos falsos iurare veraciter quā per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod iuratur magis sanctū est, tanto magis est pœnale periuriū. *Quod iuramentum quo incaute iuratur non est obseruandum, nec votum nec promissio iniuste facta.*

H  
Nunc

Nunc superest videre, Vtrum omne iuramentum implendum sit? Si n. quis alicui iurauerit contra fidem & charitatē, quod obseruatum, peiorē vergat in exitum, potius est mutandum quam implendum. Vnde Amb. Est cōtra officium Dei, non nunquam pmissum soluere sacramentum, vt Herodes fecit. Itē Isidorus, In malis pmissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretū. Quod incaute vouisti, ne facias: impia est pmissio, quæ sceleri adimpletur, Idē, Non est obseruandum sacramentum, quo malum incaute pmittitur: vt si quis adulterē perpetuā fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius n. est non implere sacramentum, quā permanere in stupro. Itē Beda, Si quid nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitū, libere illud salubriori cōsilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quā pro vitando periurio in aliud crimen grauius diuertendū. Deniq; iurauit Dauid p Deum occidere Nabal virum stultum: sed ad primam intercessionē Abigail scemine prudentis remisit minas, reuocauit ensem in vaginā: nec al' qd culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Item Aug. Quod Dauid iuramentum per sanguinis effusionem nō impleuit, maior pietas fuit: Iurauit Dauid temere, sed non impleuit iurationem maiori pietate. Ex his alijsque pluribus ostenditur, quædam iuramenta non esse seruanda, & qui sic iurat, vehementer peccat: cum a. mutat, bene facit. Qui autem non mutat, dupliciter peccat: & quia iniuste iurauit, & quia facit, quod non debet.

*Si est periurus, qui non facit, quod incaute iurauit. I*

Qui vero mutat, Vtrum periur<sup>9</sup> debeat dici, solet q̄ri. Beda supra tale iuramentū vocauit periurium. Ioannes etiā Apocrisarius oriental. sedium dixit. Sermo patris nostri Sophronij significat, q̄ melius est iurantem peierare, q̄ seruare sacramentum

*In c. nullo  
Tolet. 8. c. 2.  
hac omnia  
referuntur.*

*Et caus. 22.  
q. 4 Ambr.  
ad fin ca. 50.  
li. 1. ffic. 1. 1.  
Marc. 4. d  
Mat. b. 14. d  
Isid. ca. 8. l. 3.  
soliloquio-  
rum.*

*Idem Isid.  
li. 2. ca. 31. in  
fine de sum-  
mo bono.  
In ho. 13. in  
natali de-  
coll. diui  
Ioa. Bap.  
de sanctis  
astinalibus  
1. Reg. 25 b  
In ser. 11. de  
sanctis qui  
est 2. de fe-  
sto decoll.  
B. Ioan Bap.  
to. in fin.  
Actione 4.  
syn. Nicinā  
secundā.*



tum in fractione sanctarum imaginum. Sed per-  
iurium dicitur tale iuramentum non obseruatum  
& peierare dicitur qui non impleret, quod falsum iurat,  
non quia inde reus sit, quod non obseruat, sed quia  
iurauit iniustum, ex quo reus est sicut ille qui peierat.

*De eo qui verborum calliditate iurat.* K

*Isid. l. 2. c. 33.  
de summo  
bono ad fin.*

Hoc etiam sciendum est, quod quacunque arte  
verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscien-  
tia testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur  
intelligit. Dupliciter autem reus sit, qui & nomen  
Dei in vanum assumit, & proximum dolo caput.

*De illo qui cogit aliquem iurare.* L

*August. De  
verbis Iaco-  
bi Apost.  
serm. 28.  
in tom. 10.*

Quæritur etiam, si peccat, qui hominem iurare  
cogit? De hoc Aug. ait, Qui exijt iurationem, mul-  
tum interest, si nescit illum iuramentum falsum,  
an scit. Si n. nescit & ideo dicit. Iura mihi, vt fides ei  
sit: non est peccatum, tamē humana tentatio est. Si

*Aug. serm.  
11. de sanctis  
qui est secun-  
dus de festo  
decolla. S.  
Ioan. Bapt.  
tom. 10.  
in fine.*

vero scit eum fecisse, & cogit eum iurare, homicidia  
est. Idē. Qui prouocat hominem ad iurationem, &  
scit eum falsum iurare, vincit homicidā: quia ho-  
micida corp<sup>9</sup> occisurus est, ille animam, imo duas  
animas, & eius quem iurare prouocauit & suam.

*Ex concilio Aurelianensi.* M

*Borchard.  
cap. 13. lib. 12.  
& Ioā. Car-  
montē. ca. 70  
patris 12.  
de rectorum.*

Sancta synodus decreuit, nisi pro pace faciendā,  
vt omnes fideles ieiuni ad sacramenta accedant.

DE SEXTO ET SEPTIMO PRAECEPTO  
secundae Tabulae.

DISTINCT. XL.

SEXTUM praeceptum est. Non desiderabis vx-  
orem proximi tui. Septimum est, Non concupi-  
scas domum proximi tui, non seruum non ancil-  
lam &c. Sed videtur praeceptum de non concupi-  
scendis rebus proximi vnum esse cum eo, quod di-  
citur, Non furaberis: & praeceptum de non con-  
cupiscenda vxore, vnum esse cum eo, quod dicitur,  
Non moechaberis. Poterat enim praeceptum non  
furandi in illa generalitate intelligi, vbi de non  
conu-